

## ■ Tekst 1

### Apollo en Daphne

452 Primus amor Phoebi Daphne Peneia: quem non  
453 fors ignara dedit, sed saeva Cupidinis ira.  
454 Delius hunc nuper, victo serpente superbus,  
455 viderat adducto flectentem cornua nervo  
456 "quid"que "tibi, lascive puer, cum fortibus armis?"  
457 dixerat, "ista decent umeros gestamina nostros,  
458 qui dare certa ferae, dare vulnera possumus hosti,  
459 qui modo pestifero tot iugera ventre prementem  
460 stravimus innumeris tumidum Pythona sagittis.  
461 Tu face nescio quos esto contentus amores  
462 inritare tua nec laudes adsere nostras."  
463 Filius huic Veneris "figat tuus omnia, Phoebe,  
464 te meus arcus" ait "quantoque animalia cedunt  
465 cuncta deo, tanto minor est tua gloria nostra."  
466 Dixit et eliso percussis aëre pennis  
467 inpiger umbrosa Parnasi constitit arce  
468 eque sagittifera prompsit duo tela pharetra  
469 diversorum operum: fugat hoc, facit illud amorem;  
470 quod facit, auratum est et cuspide fulget acuta,  
471 quod fugat, obtusum est et habet sub harundine plumbum.  
472 Hoc deus in nympa Peneide fixit, at illo  
473 laesit Apollineas traiecta per ossa medullas:  
474 protinus alter amat, fugit altera nomen amantis  
475 silvarum latebris captivarumque ferarum  
476 exuviis gaudens innuptaeque aemula Phoebes;  
477 vitta coercebat positos sine lege capillos.  
478 Multi illam petiere, illa aversata petentes  
479 inpatiens expersque viri nemora avia lustrat  
480 nec, quid Hymen, quid Amor, quid sint conubia, curat.  
481 Saepe pater dixit "generum mihi, filia, debes",  
482 saepe pater dixit "debes mihi, nata, nepotes":  
483 illa velut crimen taedas exosa iugales  
484 pulchra verecundo subfuderat ora rubore  
485 inque patris blandis haerens cervice lacertis  
486 "da mihi perpetua, genitor carissime," dixit  
487 "virginitate frui: dedit hoc pater ante Dianae."  
488 Ille quidem obsequitur; sed te decor iste, quod optas,  
489 esse vetat, votoque tuo tua forma repugnat.  
490 Phoebus amat visaeque cupit conubia Daphnes,  
491 quodque cupit, sperat, suaque illum oracula fallunt;  
492 utque leves stipulae demptis adolentur aristis,  
493 ut facibus saepes ardent, quas forte viator  
494 vel nimis admovit vel iam sub luce reliquit,  
495 sic deus in flammis abiit, sic pectore toto  
496 uritur et sterilem sperando nutrit amorem.  
497 Spectat inornatos collo pendere capillos  
498 et "quid, si comantur?" ait; videt igne micantes  
499 sideribus similes oculos, videt oscula, quae non  
500 est vidisse satis; laudat digitosque manusque  
501 brachiaque et nudos media plus parte lacertos:  
502 siqua latent, meliora putat. Fugit ocior aura  
503 illa levi neque ad haec revocantis verba resistit.

*Ovidius, Metamorphosen I, 452-503*

## ■ Tekst 2

### Midas met de ezelsoren

146 Ille perosus opes silvas et rura colebat  
147 Panaque montanis habitantem semper in antris,  
148 pingue sed ingenium mansit, nocituraque, ut ante,  
149 rursus erant domino stultae praecordia mentis.  
150 Nam freta prospiciens late riget arduus alto  
151 Tmolus in ascensu clivoque extensus utroque  
152 Sardibus hinc, illinc parvis finitur Hypaepis.  
153 Pan ibi dum teneris iactat sua carmina nymphis  
154 et leve cerata modulatur harundine carmen  
155 ausus Apollineos prae se contemnere cantus,  
156 iudice sub Tmolo certamen venit ad impar.  
157 Monte suo senior iudex consedit et aures  
158 liberat arboribus; quercu coma caerulea tantum  
159 cingitur, et pendent circum cava tempora glandes.  
160 Isque deum pecoris spectans "in iudice" dixit  
161 "nulla mora est." Calamis agrestibus insonat ille  
162 barbaricoque Midan (aderat nam forte canenti)  
163 carmine delenit; post hunc sacer ora retorsit  
164 Tmolus ad os Phoebi; vultum sua silva secuta est.  
165 Ille caput flavum lauro Parnaside victus  
166 verrit humum Tyrio saturata murice palla  
167 instructamque fidem gemmis et dentibus Indis  
168 sustinet a laeva; tenuit manus altera plectrum:  
169 artificis status ipse fuit; tum stamina docto  
170 pollice sollicitat, quorum dulcedine captus  
171 Pana iubet Tmolus citharae submittere cannas.  
172 Iudicium sanctique placet sententia montis  
173 omnibus; arguitur tamen atque iniusta vocatur  
174 unius sermone Midae. Nec Delius aures  
175 humanam stolidas patitur retinere figuram,  
176 sed trahit in spatium villisque albensibus implet  
177 instabilesque imas facit et dat posse moveri;  
178 cetera sunt hominis: partem damnatur in unam  
179 induiturque aures lente gradientis aselli.  
180 Ille quidem celare cupit turpisque pudore  
181 tempora purpureis temptat velare tiaris;  
182 sed solitus longos ferro resecare capillos  
183 viderat hoc famulus; qui cum nec prodere visum  
184 dedecus auderet cupiens efferre sub auras  
185 nec posset reticere tamen, secedit humumque  
186 effodit et, domini quales aspexerit aures,  
187 voce refert parva terraeque innumurat haustae  
188 indiciumque suae vocis tellure regesta  
189 obruit et scrobibus tacitus discedit opertis.  
190 Creber harundinibus tremulis ibi surgere lucus  
191 coepit et, ut primum pleno maturuit anno,  
192 prodidit agricolam: leni nam motus ab austro  
193 obruta verba refert dominique coarguit aures.

*Ovidius, Metamorphosen XI, 146-193*

## ■ Tekst 3

In een moderne bewerking van het Midas-verhaal door de Engelse dichter Ted Hughes staat de volgende passage:

- 1 Tmolus schudde zijn haar uit,
- 2 Ontdeed zijn oren van bosjes, bomen, vogels, insecten,
- 3 Nam toen plaats op de rechtersstoel voor de tweekamp,
- 4 getooid met de pruik van een complete eikenboom,
- 5 Waarvan de eikels over zijn wenkbrauwen hingen,
- 6 En riep naar Pan: "Jouw muziek eerst."
- 7 *[Er volgt een beschrijving van het fluitspel van Pan]*
- 8 Maar nu richt hij zich
- 9 Tot Apollo, de grote, schitterende god.
- 10 En terwijl hij zich omdraaide
- 11 Slepten al zijn bossen zich
- 12 Als een toga over de grond.

## ■ Tekst 4


### Juno bezoekt de onderwereld

432 Est via declivis, funesta nubila taxo:  
433 ducit ad infernas per muta silentia sedes;  
434 Styx nebulas exhalat iners, umbraeque recentes  
435 descendunt illac simulacraque functa sepulcris;  
436 pallor hiemsque tenent late loca senta, novique,  
437 qua sit iter, manes, Stygiam qua ducat ad urbem,  
438 ignorant, ubi sit nigri fera regia Ditis.  
439 Mille capax aditus et apertas undique portas  
440 urbs habet, utque fretum de tota flumina terra,  
441 sic omnes animas locus accipit ille nec ulli  
442 exiguus populo est turbamve accedere sentit.  
443 Errant exsanguis sine corpore et ossibus umbrae,  
444 parsque forum celebrant, pars imi tecta tyranni,  
445 pars aliquas artes, antiquae imitamina vitae,  
446 exercent, aliam partem sua poena coercent.  
447 Sustinet ire illuc caelesti sede relicta  
448 (tantum odiis iraeque dabat) Saturnia Iuno.  
449 Quo simul intravit sacroque a corpore pressum  
450 ingemuit limen, tria Cerberus extulit ora  
451 et tres latratus semel edidit; illa sorores  
452 Nocte vocat genitas, grave et inplacabile numen:  
453 carceris ante fores clausas adamante sedebant  
454 deque suis atros pectebant crinibus angues.  
455 Quam simul agnorunt inter caliginis umbras,  
456 surrexere deae; Sedes Scelerata vocatur:  
457 viscera praebebat Tityos lanianda novemque  
458 iugeribus distractus erat; tibi, Tantale, nullae  
459 deprenduntur aquae, quaeque inminet, effugit arbor;  
460 aut petis aut urges rediturum, Sisyphe, saxum;  
461 volvitur Ixion et se sequiturque fugitque,  
462 molirique suis letum patruelibus ausae  
463 adsiduae repetunt, quas perdant, Belides undas.

*Ovidius, Metamorphosen IV, 432-463*

## Afbeelding

De onderstaande afbeelding is afkomstig uit een 16e-eeuwse editie van de Ovide moralisé.



## Tekst 5

Jupiter en de andere goden hebben besloten de zondige mensheid te vernietigen door een zondvloed. Eerst werd de zuidenwind erop uitgestuurd die zorgde voor verschrikkelijke regenbuien. Maar dat was nog niet genoeg:

274 Illum  
275 caeruleus frater iuvat auxiliariibus undis.  
276 Convocat hic amnes. Qui postquam tecta tyranni  
277 intravere sui, "non est hortamine longo  
278 nunc" ait "utendum; vires effundite vestras.  
279 Sic opus est. Aperite domos ac mole remota  
280 fluminibus vestris totas inmittite habenas."  
281 Iusserat. Hi redeunt ac fontibus ora relaxant  
282 et defrenato volvuntur in aequora cursu.  
283 Ipse tridente suo terram percussit, et illa  
284 intremuit motuque vias patefecit aquarum.  
285 Exspatiata ruunt per apertos flumina campos,  
286 cumque satis arbusta simul pecudesque virosque  
287 tectaque cumque suis rapiunt penetralia sacris.  
288 Siqua domus mansit potuitque resistere tanto  
289 indeiecta malo, culmen tamen altior huius  
290 unda tegit, pressaeque latent sub gurgite turres;  
291 iamque mare et tellus nullum discrimen habebant:  
292 omnia pontus erant, deerant quoque litora ponto.

*Ovidius, Metamorphosen I, 274-292*

### Aantekeningen

- Regel 274 **Illum** Bedoeld wordt Jupiter.  
Regel 275 **frater** Bedoeld wordt Neptunus.  
Regel 277 **Verbind** non est utendum.  
Regel 278 **effundere** uitstorten  
Regel 279 **Sic opus est.** Dat is nodig.  
**mole remota** Ablativus absolutus.  
**moles** dijk  
Regel 280 **inmittere totas habenas** de vrije teugel geven  
Regel 281 **fontibus ora relaxare** de bronnen wijd open zetten  
Regel 282 **defrenatus** ongeremd  
Regel 285 **exspatiata** buiten hun oevers getreden  
Regel 286 **cum** Voorzetsel.  
**satum** plant  
Regel 287 **rapiunt** Onderwerp nog steeds flumina (regel 285).  
**penetrale** heiligdom  
**cum suis sacris** met godenbeelden en al  
Regel 288 **siqua** = si aliqua  
Regel 289 **indeiectus** onbeschadigd  
Regel 289–290 **Lees:** tamen altior unda tegit culmen huius  
**huius** Verwijst naar domus (regel 288).  
Regel 290 **pressus** overspoeld  
Regel 292 **deerant** Van de-esse.